

Disputatio physica, de chylicatione ... / praeside Johann-Ludovico Mögling ... publicae disquisitioni submittit Johannes Jacobus Funck, Ulmensis.

Contributors

Funck, Johann Jakob
Mögling, Johann Ludwig, active 1608-1655
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Literis Kernerianis, M. DC. LXIV. [1664]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/n479qq22>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Disputatio Physica,

22

DE

CHYLIFICATIONE,

Quam

DEO DUCE ET AUSPICE

PRÆSIDE

DN. JOHANN-LUDOVICO
MÖGLING, PHILOS. ET MED. DO-
CTORE, PHYSICES AC MATHESIOS P.P.

Fautore ac Præceptore suo omni obsequii cultu
venerando.

*Pro Honoribus MAGISTERII legitime
consequendis,*

Publicæ Disquisitioni submittit

JOHANNES JACOBUS Sund/
Ulmenfis.

In Auditorio Philosophorum Hyberno,

Ad diem Januarii,
horis consuetis.

TUBINGÆ,

Literis Kernerianis, M. DC. LXIV.

VIRIS

*Admodum Reverendis, Nobilissimis, Excellentissimis, Clarissimis,
varioq; rerum usu Spectatissimis,*

DN. CHRISTOPHORO Wölfflin / SS. Theol. D.
ejusdemque in Illustri Academia EBERHARDINA Professori Publico
Celeberrimo, & Ducalis Stipendii Superattendenti vigilantissimo,
Hospiti suo colendissimo.

DN. JOHANNI CONRADO BROTBECQUIO,
Phil. & Med. D. nec non Professori Publico Acutissimo, Florentissimi
Collegii Medici t. t. DECANO Spectatissimo.

DN. GEORGIO BALTHASARI METZGERO,
Med. D. Praxeos, Anatomiae, & Botanices P.P. Famigeratissimo.

DN. M. THOMÆ Suncp / verbi divini in summo Templo
ministro, parenti filiali pietate & observantiâ colendo.

DN. JOH. ANASTASIO Remmelin / Med. D. & Practico
Kirchaimi sub Teck Felicissimo.

DN. JACOBO Suncp / Not. Cæs. Publ. & Nobili Senatui
Ratisbonensi à rationibus publicis.

DN. M. JOH. CONRADO Vesenbeck / Pastori in Templo
SS. Trinit. Dignissimo.

DN. JOHANN. Schleich / Tabernario ad robustam arborem.

DN. CONRADO Neubronner / Tabernario ad auream rotam.

DN. FRANCISCO Suncp / Orphanorum Curatori Fidelissimo.

DN. N. *suis Patronis, Promotoribus, Fautoribus, respectivè
Patruis, & Cognatis, jugi subjectione & observantiâ colendis.*

Exercitium hoc Academic. Physic.

in observantiâ symbolum,

gratitudinis tesseram;

alterioremq; sui commendationem.

D. D. D.

Johannes Jacobus Suncp / Auth. & Resp.

Σ Υ Ν Θ Ε Ω !

Proœmium.

Ventriculus in statu Oecono-
mica haud ineptè comparatur culi-
næ; Quod enim culina, focus, ignis,
ligna, cibi que coquendi præstant in
statu Oeconomico; id ventriculus in corpore
humano: cujus *coquus* est facultas chylicatrix,
primashic tenens, & sine qua coctio nulla. Li-
cet enim omnia ad coquendum necessaria in-
strumenta in culina adsint, coquus autem vel
coqua deficiat; tunc inanis & frustranea culina
erit: ita & hic se res habet. Coquum tanquam
causam principalem sequuntur jam instrumen-
tales: & 1. quidem *focus*, qui est ipsa substantia
ventriculi, non tam ad retentionem chyli,
quàm fomentationem caloris facta, teste *J. An-
ton. van der Linde* / in *Medicin. Physiolog. art. 4.*
de ventric. 2. *Ignis*, calor illius specificus. 3. *Li-
gna*, sunt humidum tum ventriculi, tum etiam
ciborum, calorem conservans. 4. Tandem *cibi
coquendi*, sunt alimenta ingesta, in chylum, sive

uniformem massam convertenda. Ut verò horum natura paulò penitius nobis innotescat, de illis, breves aliquot theses conscribere, & examini Philosoph. Publ. submittere volui. Sit itaq;

THESIS I.

Chylificatio est coctio publica ventriculi, qua vi facultatis chylicatricis, & caloris specifici, ex cibo conveniente fit chylus, ad individui conservationem.

II.

In hac definitione sex considerata veniunt; 1. Genus, 2. Subjectum, 3. Organum, 4. Objectum, sive materia circa quam, 5. Effectus, 6. Finis.

III.

Genus est coctio ventriculi publica, & quidem prima, prout à Medicis coctioni secundæ contradistinguitur, quæ sanguificatio dicitur: opponitur etiam *privata*, quæ & ipse ventriculus cum reliquis partibus solidis opus habet.

IV.

Coctio hæc publica, neque soli calori ventriculi, neque etiam partium adjacentium est adscribenda, uti ex ipso *Hipp. de prisc. medic.* constat, dicente; dura comminui, crassaque fundi non posse à solo calore, nisi ab alio incidantur: sed aliquali quoque fermentationi, ventriculo propriæ; cujus beneficio, quæ ingesta sunt, secundum minima recluduntur, & in unum fluidumque corpus denuo uniuntur: fatente *Viro Nobilissimo & Excellentissimo Dn. D. Metzgero*, in disp. de ventriculo th. XX. Quo sensu *Dan. Voëtius* Physic l. 6. c. 2. coctionem ventriculi, particularum alimentosarum à non alimentosis per fermentationem separationem dicit.

V.

Hujus coctionis *Principium*, & prima præparatio fit in ore per masticationem, contritionem, & comminutionem solidioris cibi à dentibus: forsan etiam aliquo modo per humectationem & emollitionem, quam salivalis præstat humiditas, quo solidioribus eò facilius concoquatur in ventriculo. *Medium* in fundo ventriculi, tanquam in cella & penu aliquo, in quo cibi contenti in chylum vertuntur; adjuvante facultate sibi innata chylicatrice, caloreque specifico fermentante, tanquam organo. *Finis*, sive ultima elaboratio, in intestinis tenuibus, chylum in ventriculo confectum, in transitu ulterius coquentibus, eumque distribuentibus; teste *Dn. D. Barth.* in *Instit. Anatom.* c. IX. de ventriculo p. 58.

VI.

Privatæ coctioni hæc publica opponitur, quia *privata* partis tantum, in qua exercetur, nutritioni inservit, privatæque munus habet; quales sunt os, caro, &c. quæ alimentum tantum attrahunt, quod sufficit ad sui nutritionem; *officialis* autem & publica, non solum partis, in qua exercetur, sed etiam totius corporis nutritioni inservit, publicumque munus habere dicitur; e. g. ventriculus alimentum non sibi solum, sed & toti corpori alendo attrahit, retinet, concoquit, & expellit.

VII.

Actiones ministræ & secundariæ ventriculi sunt quatuor; attractio, retentio, concoctio, & excretio; quarum tres fibris perficiuntur; concoctio autem à calore specifico fermentante, quæ & totius gratia habetur: quoniam natura magis est sollicita de conservatione totius, quam de unius alicujus partis. Totum quippe præstantius & magis necessarium est, quam una aliqua particula.

VIII.

Actiones ventriculi tum *privatæ*, tum etiam *publicæ* statui possunt. *Privatæ*, quatenus ventriculo commodant. *Publicæ*, quia ventriculus non pro se solum, sed etiam pro omnibus corporis partibus laborat & chylicat. Præbet enim cordi materiam, pro sanguinis generatione, qui postea confectus & depuratus, commune est omnium partium alimentum.

IX.

Quod autem ventriculus non solum pro se, sed etiam pro toto corpore chylicet, tribus confirmari potest argumentis. 1. Quia longe plus attrahit atque assumit, quam pro sui nutritione sit opus. Cum enim membranosa constat substantia, quæ frigida est, densa & solida, de qua non adeo multum dissipatur, sicut de partibus calidis, humidis, porosis ac raris: ideo tanta alimenti copia, pro sui sustentatione minime eget, quantam illum assumere videmus. 2. Quia cavitatem habet satis ampliam & spatiosam, ut ciborum copiam tantam, quanta alendo corpori est necessaria, continere valeat. 3. Quia geminum nactus est calorem; alterum sibi innatum, alterum aliunde, nimirum à partibus sibi supra, infra, ad dextram, ad sinistram, anteriorem denique & posteriorem regionem adjacentibus, acceptum: ut scilicet concoctrix illius facultas eò esset fortior, eoque facilius & melius ingestum cibum conficere & digerere posset. Ex quibus luce meridiana clarius apparet, quod ventriculus non solum pro se ipso, sed etiam in salutem & incolumitatem totius corporis chylum producat; *vid. Zollicof. diss. de ventric. Argentor. habitam, th. XXI.*

X.

Subjectum agens, sive causa efficiens est *ventriculus* cum facultate concoctrice peculiari, quæ chylicatrix dicitur, &

non nisi in ventriculo datur; solus enim calor (qui tantum causa instrumentalis chylicationis) solaque fermentatio chylo elaborando non sufficit, sed superius agens requiritur; unde etiam facultas concoctrix à Laurentio insita ventriculi proprietas, sive ejusdem forma vocatur; teste *Gothofr. Mæbio in fund. Med. Physiol. c. X, de usu ventriculi.*

XI.

Ut autem ventriculus eò felicius suo officio fungi posset, natura illum variis undiquaque stipavit partibus; visceribus nimirum, membranis, fibris, vasis, orificiis, fundo &c. quæ singula breviter delineabo.

XII.

Quoad viscera supra diaphragma, & quæ addit *Galenus*. 3. facult. nat. 7. Cor. 14. de us. part. 12. pulmones habet, inferius omentum & intestina assident, parte dextrâ jecori, sinistra lieni committitur, à tergo pancreate, velut pulvillo fulcitur, lumborumque musculis, & spina ceu propugnaculo munitur: ab anteriore parte pene suo natura auxilio defuisse, tantumque non nudum reliquisse ventriculum videtur; verum nec hic, quod conqueramur jure, habemus, præter enim insignes abdominis musculos, & peritonæum, suo etiam fomento umbilicale ligamentum, copiosâ non rarò pinguedine perfusum ventriculo adstat.

XIII.

Et hæc sunt viscera, quæ ventriculum, ut & partes totidem aliæ circumfident, ut sint in primis *ἄνω περιμάσματα*, ut elegantissime nominat *Galenus*, 4. de us. part. 8. tanquam forus totidem, ad fovendum & intendendum omni à parte calorem ejus, in se quidem ob continuum sanguinis & spiritus, per vasa numerosa intra tunicas dispersa, à corde affluxum satis vegetum, operi tamen insufficientem. Hinc idem, 3. de facult. nat.

nat. 7. λέβητι, lebeti aut ollæ ventriculum, viscera verò quibus interponitur, ἐστῖαις, focis, aptissime comparat. Pluribus vide *Virum Nobilissimum & Excellentissimum Dn. D. Metzgerum*, in disp. de ventric. th. 4. & 5.

XIV.

Membranas habet triplices; quarum *Prima* & externa à peritonæo nata, cumque aliis partibus communis, tenuis quidem, crassior tamen hic, quam in aliis partibus, ut ventriculus citra disrptionem distendi posset: & quidem tunc maxime, cum plenior & copiosior cibus & potus est assumptus, præsertim à comedonibus, bibonibus, heluonibus, gulonibus, & ut *Horatius*, loquitur, macelli barathris. *Secunda* crassior & carnosior, quæ media est, & ad meliorem coctionem quidem fibris carnosus donata est. *Ultima* & intima nervosa & alba, de qua notatur, tanto duriores esse, quo vicinior est ori, tanto contra molliorem, quo vicinior ano. Rugosa est, ad facilem cibi amplexum & dilatationem; rugas verò habet ob crustam carnosam sibi adhaerentem, ut melius ab ingestis durioribus defendatur; referente *Dn. D. Barth.* in Instit. Anatom. c. de ventric.

XV.

Membranis his fibræ rectæ, obliquæ, & transversæ intertextæ sunt, quæ putantur facere ad attractionem, retentionem, & expulsionem; verum potius roboris gratia, quam alium in finem factas esse credendum: præsertim cum aliæ partes absque fibris ejusmodi nervosis attrahant, retineant, & expellant; teste *Highmor.* in disquisit. Anatom. corp. hum. l. 1. c. de ventric.

XVI.

Quoad vasa ad sunt 1. *Arteria*, ab aortæ ramo cœliaco ortæ, sanguinem pro nutrimento, quo solo nutritur ventriculus, adver-

advehentes. 2. *Vena* portæ propagines, sanguinem superfluum recipientes, eundemque ad cor reducentes. 3. *Nervi*, à sexto pari duo, ad orificium ventriculi sinistrum tendentes, acutissimi sensus authores.

XVII.

Sequuntur orificia; quorum unum *dextrum*, alterum *sinistrum* est. Sinistrum proprio nomine stomachus audit, ob amplitudinem; alias *στόμα γαστρὸς*, os ventriculi simpliciter, quia per hoc orificium cibus & potus intromittuntur: veteribus cor, quia ejus affectus, animi deliquia, aliaque symptomata cardiacis similia gignunt, tum ob exquisitissimum sensum, tum quia cor graviter condolet per consensum. Orificium hoc majus, crassius, & amplius altero est, ut etiam cibum durum, aut semimansum admittat. Situm est circa undecimam thoracis vertebra, estq; vicinius spinæ, quam cartilagini ensiformi: ideoque in ejus affectu posteriori potius regioni, quam anteriori externa medicamenta applicantur. Fibras circulares carnosas habet, ut claudat orificium ab assumpto alimento; ne fumi ascendant, cerebrum petant, morbosque generent, & ita perfectior fiat coctio; teste Dn. D. Barth. c. de ventric.

XIIX.

Alterum orificium Græcis *πυλωρὸς* dicitur, Latinis janitor; tum, quod instar alicujus janitoris, sive ostiarii assumptos cibos cohibeat, ne crudi & incocti ex ventriculo præproperè egrediantur; tum etiam ut se aperto concoctos exire sinat. Strictius & priori angustius est, clausumque manet, donec cibus sit confectus. Interim tamen ubi necessitas urget, in amplitudinem satis magnam extendi pariter cum superiori potest, ut durioribus & majusculis commode pateat; notante Excellentissimo Dn. D. Metzgero in disp. de ventric. th. XIV.

De utriusque amplitudine vid. *Galenus* l. de part. c. 7. Situm in dextra ventriculi parte, & quidem non in fundo, sed elatione ejus sede habet. In duodenum terminatur intestinum, ad quod coctum cibum ablegat.

XIX.

Restat fundus ventriculi, inter duo orificia medius, ipsum ventriculi corpus dictus; in quo ex omnium sententia coctio celebratur, huicque *πρώτως* & per se *χύμωσις* adscribitur. Culina hæc pars totius corporis est, propter amplitudinem & capacitatem, non tam pro magnitudine corporis, quam pro annata cujusvis sobrietate, vel ingluvie mire variantem: in gulosis enim ultra umbilicum descendit impletus, in sobriis eum ne attingit quidem. Variat & sexus ratione: in viris enim major est, & ordinarie duodecim aquæ librarum capax. In foeminis ideò minor esse debuit, ne aut imbecillior earum calor ciborum copiâ gravetur, aut locus utero foeto denegetur; teste *I. Anton. van der Linden* in Medic. Physiol. art. 4. de ventric.

XX.

His absolutis pergimus ad *organum* chylicationis, quod est calor; sed non communis aut elementaris, verum specificus &c. h. e. à forma totius, & facultate ventriculi determinatus: quo cibus variè alteratur, mutatur, & corpori viventi idoneus efficitur. Accedit huic secundum nonnullos vis fermentatrix, humori cuidam subacido insita; quæ, si quæ datur, eidem facultati, & calori ventriculi appropriato præcipue adscribenda venit.

XXI.

Concurrunt autem ad alimentorum fermentationem in ventriculo rite obeundam. 1. *Aqua* ex potu, potulentave ciborum parte, ut & saliva petita. 2. *Ignis* moderatus, à corde per

per arterias cum sanguine ventriculo, partibusque vicinis
 sufficienter in sanis communicatus, aut in valetudinariis
 quibusdam per interna, vel externa auctus, fatusve. 3. *Li-*
ber halitibus, & quandoque ructibus quoque per œsopha-
 gum erumpentibus, exitus. Quibus accedit, 4. *Sal in sali-*
va latitans, & ciborum fermentationem citiorem procu-
 rans: quod in aliis etiam contingit fermentationibus, quæ
 admisto fermento vel sale, saltem paucis quandoque horis
 absolvuntur, ad plures alias dies ante sui perfectionem du-
 raturæ. Sed nec 5. *Partem salivæ spirituosam*, in fermenta-
 tione promovenda otiosam testatur Vini Spiritus, in eundem
 finem aliquando utiliter assumptus, & imprimis rebus aliis
 fermentandis commode admistus; vid. *Francisci Deleboe Syl-*
vii, Medicin. Practicæ in Acad. Lugduno Batava Professo-
 ris, disp. I. de alimentorum fermentatione in ventriculo.
 th. XXV.

XXII.

Objectum sive materia circa quam, est *cibus conveniens*; talis
 scil. qui rite antea in ore præparatus; mox colorem, odorem,
 aliasque qualitates mutans; pluribus coctionibus in ventri-
 culo, & visceribus sanguificationis, corde, hepate, liene &c.
 ulterius elaborandus, tandemque in substantiam partium
 convertendus venit: ut ita unum mistum fiat, sicque secun-
 dum Aristot. unius corruptio, alterius sit generatio.

XXIII.

Effectus est chylus; ubi ex alimento in ventriculo con-
 cocto, in uniformem massam, ptisanæ cremori non absimi-
 lem, fit mutatio; solutorumque homogeneorum de novo
 unio, & heterogeneorum separatio requiritur,

XXIV.

Ex his igitur breviter patet; elaborationem chyli à dua-
 bus causis efficientibus provenire; principali, & instrumen-

tali. *Principalis* est facultas ventriculi propria, & plane specifica $\chi\acute{\upsilon}\lambda\omicron\pi\iota\eta\tau\iota\kappa\eta$, quæ toti quidem ventriculo, sed magis tamen & imprimis fundo insita est, in quo tota hæc concoctio perficitur, quæ propterea $\chi\acute{\upsilon}\lambda\omega\sigma\iota\varsigma$, sive chylicatio dicitur. Et hæc prima est concoctio, quæ fit in corpore humano, in qua si quod vitium committitur, vix illud in secunda aut tertia totum corrigi aut emendari potest; juxta illud commune dictum: vitium primæ concoctionis non corrigitur in secundâ aut tertiâ. *Instrumentalis* est calor, partim ipsius ventriculi, partim etiam partium adjacentium: hæ enim internum istum calorem fovēt, ut tanto melius concoctio illa peragi possit. Non autem calor, quæ calor, sed directus ab ista ventriculi facultate, tanquam à primario agente, hic concurrat; & agit tanquam instrumentum, quod omninò ad causam $\pi\epsilon\acute{\rho}\omega\tau\omega\varsigma$ & per se agentem, reducendum est, juxta vulgatum: omne instrumentum reducendum est ad causam per se agentem, docente *Thoma Sagittario* l. VII. Phys. c. XXV. de humor. post genitis alimentariis.

XXV.

Finis in hac definitione considerandus, est duplex; vel Proximus, vel Remotus. *Proximus* est sanguinis elaboratio, ex chylo enim in ventriculo recte elaborato, fit sanguis; qui si se non recte habet, sanguificatio læditur, quâ læsa, individui & speciei conservatio perit: quod contingere potest in coctione abolitâ, imminuta, & depravata ventriculi; quæ fit vel primario, & per se, quando à suo munere deficit, citra reliquarum facultatum læsionem; vel secundario, & ex accidente, retentricis aut expultricis vitio: unde varia symptomata oriuntur; singultus, nausea, vomitus, cholera, ructus, &c. *Remotus* est individui & speciei conservatio; his enim optime se habentibus, individuum & species conservantur.

XXVI. Ha

XXVI.

Haftenus ventriculum cum sua chylicatione absolute & *physice* consideravimus, nunc respective & *medice* perpendendus erit; ut pateat quod, & quomodo Medico sit incipiendum, ubi *Physicus* desinit: ita ventriculus consideratur vel *Theorice*, vel *Practice*. *Theorice* quidem vel *Pathologice*, vel *Semeiotice*. *Pathologice* 1. ut causa sanitatis, quando scil. ventriculus bene chylicat; è contra verò, quando vel aucte, vel abolite, vel imminute vel depravate chylicat; tunc vafii in corpore morbi & symptomata oboriuntur: e. g. quando laborat *ἰσχυρία*, *ἀπεψία*, *βραδυπέψια*, &c. tunc non potest non vitari coctio secunda & tertia: ita ut *cacochymia*, *cachexia*, febres, aliique morbi hinc proveniant, 2. ut subjectum verò pathologicum attenditur, quatenus à prædictis morbis præter naturam afficitur. *Semeiotice* cognoscitur vel *Diagnosticè*, vel *Prognostice*. *Diagnosticè* 1. ut signum in genere sanitatis totius; quia si ipso sensu evidens est chylicatio bona; tunc etiam signatum, nempe sanitas totius, & in specie coctionis secundæ, & reliquarum actionum perfectio, probabiliter exinde colligitur; 2. ut signatum; ita ventriculi, sese habentis secundum vel præter naturam, signa notanda sunt, h. e. sani vel morbofi: qualia sunt dolor à cibo, inflatio, ructus, nausea, vomitus &c. quæ omnia ventriculum læsum significant. *Prognostice* 1. ut signum, præcipue in morbis acutis; quale signum prognosticum appetitus & chylicatio bona vel mala pariunt: Unde bona & laudabilis in morbis appetentia salutaris, dejecta verò valde periculosa; juxta sententiam *Hipp. & Φ.* 33. f. 2. ita dicentis: in quovis morbo mente constare, & bene sese habere ad ea, quæ offeruntur, bonum; è diverso autem male sese habere, ad ea quæ offeruntur, idem malum est. 2. ut signatum, in ipsis ventriculi morbis; e. g. *dyscrasia*

calida simplex est signum salutare, dyscrasia verò calida cum materia intensa, h. e. inflammatio, præsertim superioris aut inferioris orificii, est ferme lethale signum.

VXVII.

Præctice, & I. quidem *Diatetice* est indicans 1. alimenti, i. e. cibi & potus proportionati ad chylicandum. 2. etiam sanguinis, ad propriam nutritionem. II. *Prophylactice*, ratione pravorum contentorum, scil. cruditatis, indicat evacuationem per Emetica vel dejectoria. III. *Therapeutice*, ratione morborum 1. est indicans medicamenti variè alterantis & auferentis, vel corrigentis. Est quoque 2. indicatum, scil. medicamentum: ita stomachi gallinarum in usum medicinale cedunt, corroborando hominis ventriculum. Atque hâc vice pro nostri instituti ratione, de hâc materia hæc sufficient.

Corollaria,

- I. *An ventriculus chylo nutriatur? Neg.*
- II. *Vtrum chylicatio per fermentationem quandam fiat? Affirm.*
- III. *An homo absque chylicatione aliquousq; conservari queat? Affirm.*
- IV. *An corpus nostrum alatur solo sanguine? Affirm.*
- V. *Vtrum Cor sit officina sanguificationis? Affirm.*
- VI. *An cibus simplex, an varius melior? Dist.*
- VII. *An prandium vel cæna largior esse debeat? post. Affirm.*
- VIII. *An in paroxysmis cibum interdum exhibere liceat? Affirm.*
- IX. *An ventres hyeme sint calidiores, an æstate? prius Affirm.*

Ad

I.

Præstantissimo DN. RESPONDENTI,
Philosophiæ CANDIDATO.

Quomodo mutetur cibus, & concoctio fiat
 Intra Ventericulum, FUNCCIUS explicuit.
 Non labris gustasse, sed & se scripta Sophorum
 Concoxisse satis, sedulus ipse probat.

Hon. e. appos.

Christophorus Wölfflin / D.

II.

Sintillâ vitæ, Stomachi quod coctio constet,
Ingenij hisce tuis, hoc patet igniculis.

Joh. Corr. Brotbeckh / Med. D.
h. t. Decan.

III.

Ingenii Sulphur coctus bene chylus & ignem,
 Funcci, quem præsens pagina monstrat, olet.
 Restant cruda alia & coctu magis ardua in Arte
 Quæ fervore pari si bene cocta dabis;
 Excocti studii Te gloria lausque manebunt,
 Officioque tuo sic bene functus eris.

f.
 Georgius Balhasar Metzger,
 Med. D. & Prof.

IV.

Et Tua Funckiades Virtus Tibi promet honores,
 Virtus, quam genuit lectio, Musa, dies.

Instet

Instes ardentem caeptis, sic proxima neſtent.

Tempora Virtutum laurea ſerta Tibi.

Johannes Graft, D. PP.

V,

ESto, quis ingenii ſcintillas dixerit illas,
Fulgidus hinc ſubitò quando micabit honor.

Chriſtophous Caldenbach.

VI.

DUm coquis Ingenii ſtudiorumque igne ſubactum
Fermento Autorum rite probumque Chylum;
Floridus hinc ſanguis, doctæ ſubſtantiaque Artis,
Quin Tibi ſuccreſcat Vivida, quis dubitet?

Præſes.

VII.

SIc igitur prodis ſcripto, Doctiſſime Funcci?
Sic ſtudiumque bonis ingeniumque probas?
Euge, bonis a vibus! Sic innotescere perge
Doctis; namque ingens hinc Tibi ſurgit honos.
Hinc quoque ſpes creſcit, ſpes non ſpernenda PARENTIS,
Arte hæc in Medica ſi Meditata videt.

Imq; Sympatr. ſuaviſs. p.

Johann. Petrus Mayer / Ulm.

S. S. S. S.

F I N I S.